



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

S. Mauritij Tholegiense monasterium, in Lotharingia, vt d. Treuerensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

demia Duacena Collegiū Marchianense, quod Arnoldus Gantoisius, Abbas Marchianensis, patrū memoriā à fundamentis exstruendum curauit, Obijt is an. 1582.

CAPVT XXI.

S. Naboris monasterium apud Lotaringos.

Est istud in eiusdem nominis præclaro apud Lotaringos oppido sitū, *Hilaricum* antiquitus, vel noua S. Hilarij cella, à primi oratorij conditore S. Fridelino Scoto, Hilarij discipulo sic dictum. Fundatum est autem & solerti studio constructum à *Sigisboldo* tricesimo sexto Mediomatricum vrbis Episcopo; dedicatumque in honorem D. Pauligentium Doctoris, anno Domini 714. Donatum est corpore S. Naboris martyris anno Domini 765. à *Crodegando* tricesimo septimo Metensis Ecclesiæ Antistite, qui Romam petens, à Paulo Pontifice tria obtinuit sanctorum Martyrum corpora, S. Gorgonij quod in Gorzia monasterio, S. Naboris, quod in noua hac cella, & S. Nazarij, quod in monasterio *Horsheim* venerabiliter condidit. Sic ferè Bruschius.

714.

765.

S. Mauritiij Tholegiense monasterium, in Lotharingia, vt d. Treuerensi.

Fuit id antiquitus *Schola & Ecclesia Theologorum* dictum, prope S. Vvendelinum (quod oppidum Lotaringiæ est, à S. Vvendelino Scotorum Regis filio, ac Theologiensi

mona-

627.

monacho cognominatū) sub veteri Schaumburgo Lotaringiæ Ducum præclaro castro situm; Olim insigne ac celebre gymnasium, in quo vigeant & sacra & profana littera; nunc Benedictinorum monachorum amplissimum monasterium Treuericæ diocesis fundatum ac munificentissimè donatum legitur anno Domini 627. à *Dagoberto* Galliarum & Austrasiæ Rege, consilio & auxilijs *B. Madoaldi* Treuerorum Archiepiscopi, absolutum verò à filio *Dagoberti Sigiberto* Austrasiæ Rege, ac tandem à *S. Pirminio* Episcopo & monacho præclarè decoratum. Cubat in huius cœnobij basilica *D. Chuno*, alibi *Chunradus* dictus, Archiepiscopus Treuerensis, patria & natione Sueuus, qui aliquamdiu incarceratus, tandem anno Domini 1066. in *Vrzeck* à tyrannis quibusdam plebeijs, subditis suis, trucidatus & securi percussus est. Sic fere *Bruschius*.